

TITVLVS VI. DE GVBERNATORIBVS, ET PRÆTORIBVS INDORVM.

DE Indorum inquam Gubernatoribus, & Prætoribus; nam de iis, qui Hispanorum sunt, differere, amplioris negotij est, pro quibus & libri integri extant apud Nostrates, & latinâ, & vulgari linguâ conscripti. Quæ ergo ad nos spectant breuius discutimus. Et iam quidem in superioribus stabilitum officia huiusmodi vendi non posse, vnde neque emi, & quibus dari illa oporteat, & an benemeriti præerendi. Circa alia ergo, quæ restant, instituenda tractatio, pro quibus sit ante alia

CAPVT I.

An iuramentum, quod Prætores Indorum præstant, sit obligatorium in conscientiâ.

Prætores ut inveniuntur, & qualis eorum sensus circa iuramentum.

Vrant illi non se exercituros contractus in jurisdictionis suæ terminis, vt cum Indis, aut per Indos peragantur, & hoc iuramentum in ipso officij titulo exprimendum, iuxta præstationis formam iussit Excellentissimus Comes Montis-regalis Peruvianus Prorex: vt refert D. Solorzanus Tomo 2. Lib. 4. Cap. 2. num. 10. & in Politicâ Pag. 756. Vers. Ynel Peru. Circa cuius obligationem grauis iam pridem controuersia extitit, volentibus multis eam esse omnino vrgentem, qualemque verba ipsa videntur ostendere; quia nullum apparet caput, vnde aliter possit rationabiliter iudicari. Aliis autem, & non infimæ notæ Magistris contrâ tendentibus, & iuramenti obligationem nullam esse asserentibus, eò quod vsu recepta non sit, cum Prætores omnes contractus inean, scientibus Proregibus, immò & fauentibus, dum sibi familiaribus eas præturas conferunt, in quibus ad frequentiores, & quæstuosiores contractus maior opportunitas peruidetur. Hoc autem conscientiz leuamen aliqui aliter sibi conciliant, iurantes ore, non corde: quod tamen non curant multi, sed periuurij se reos existimantes, ad lucra peruiuant, rati Confessione post tractatum officij tempus Sacerdoti faciendâ omnia hæc inconuenientia componi, & conscientiz terculamenta sopiri. Sed nescio quomodo Confessio legitima esse possit, cui dolor verus de commissis non se comitem penitus necessarium adiungit. Videt se diuitem peniturâ functus, & diuitijs exultat suâ partis industria, & de acquisitionis modo doleat ille, sine quo stare illæ non potuissent? Sed quale emendationis propositum in eo, qui in eâ animi dispositione versatur, vt officium idem, aut certè consimile

Quam difficile sit ut periuurij in illis Confessione delectentur.

obuijs sit vlnis identidem admissurus? An inopem se potius, aut certè non diuitem velit ex iis aliquis, quàm iuramenti violatione locupletem? Ipsi viderint: nam res profectò adeò periculosa est, vt qui sic egerint, in labyrinthum Cretensî difficiliorum planè se intromittant, vel in laqueum Diaboli, vt Apostolus loquitur, 1. Timor. 6. v. 9. incidunt, dum volunt diuites fieri: à quo vix se possunt expedire. Circa hæc ergo

2 Dico primò. Iuramentum dictum est grauius obligatorium. Sic Dom. Solorzanus capite 2. citato, num. 9. & seqq. & sequitur ex communi omnium doctrinâ circa iuramenta Regiorum ministrorum, quando supra materiam alis grauius obligantem cadunt. Pro quo videri potest P. Fragolus Tomo 1. Pag. 524. vers. 99. in vtroque §. Ratio autem est manifesta: nam materia circa quam iuramentum hoc cadit, est grauisissima; vnde Reges Catholici, ad continendos Prætores in officio multa excogitarunt, vt obseruat Dom. Solorzanus supra, & inter alia iuramenti ab eisdem præstationem, pro cuius obseruatione plures Proreges sunt apprime solliciti, vt de Comitè Montis-regalis diximus, & de Marchione de Montes-claro etiam est compertum; qui præstationis formam innouauit. Tendit namque ad vitandam miserorum oppressionem, & sic ad fidem stabilendam, & ad conseruationem regnorum Indicorum, & maximas inde obuientes Reipublicæ Christianæ utilitates, quæ Indis deficientibus euanescent: ex quibus manifestè sequitur esse obligatorium, & in eius violatione mortaliter posse peccari: vnde id negari sine graui notâ nequit, quia ratio est clara, & nullus, qui aduersus sit auctor inuenietur. Quos autem nuper aduersos indicauimus in hoc non aduersari ex dicendis constabit.

Afferio 1. Iuramentum grauius obligare.

3 Dico secundò: obligatio dicta tunc est innegabilis, quando sublato iuramento leges grauius obligant, præsertim si sit lex naturalis, cuius violatio iniustitiam continet, aut aliam notabilem deformitatem: & quidem de obligatione legum, quando obligatio purè ciuilibis est, non est facile dignoscere quantum illius pondus; an scilicet sub mortali, an sub veniali, an purè poenalis sit; circa quod tot à Doctoribus traduntur regulæ

Afferio 2. id certius quando cadit supra legem aliâ grauius obligantem.

regulæ & tot circa particulares leges circumstantiæ occurrunt, vt nihil firmum possit stabiliri, & ita iudicio sapientum relinquendum: in præsentia autem cum Reges Catholici leges statuentes circa Prætores, & in iis illam vt à contractibus profus abstinèat, id profectò curent ne Indi grauentur, & graues erga ipsos iniustitiæ committantur; in id certè iuramenti pondus incumbit, vt scilicet nullas ab iis plagas accipiant, quibus eorum commissa est salus; & sic nihil erga eos ratione contractuum fiat, per quod graue nocumentum patiantur. Obligabit ergo illud ad non perpetranda talia, quæ lege sunt naturali prohibita, & circa hæc non poterit desuetudo allegari, quia contra naturalem legem nihil iuuare desuetudo potest, vt non iuuat in luxuriâ; quamuis legem prohibentem illam, tot sint, qui violent, vt si lex ciuilibis, aut Canonica esset, fortè ad obligationem in secularibus tollendam, desuetudo huiusmodi sufficiens posset iudicari. Et sic in alijs, quæ contra naturalem legem inualuisse conspiciuntur. Sed non ideo licita reputamus.

Afferio 3. Secus esse cum lex grauius non obligat, vnde stare in Prætoribus potest.

4 Dico tertio: si contractus à Prætoribus ita exerceantur, vt nulla Indis fiat iniuria; aut aliquod ex ipsis graue nocumentum oriatur, non sunt de lethali culpâ damnandi, ob iuramenti violationem. Sic viri docti iam pridem, quod & modò plures tutum reputant, & iuxta eam sententiam praxis multorum procedit. Probat: quia iuramentum additum legi non obligat, nisi suppositâ legis obligatione, quam reddit arctiorem, vt tradunt Doctores. L. Si quis maior. C. de transaction. & in L. finali C. de non numerata pecuniâ. Pro quo aliquos adducit Dom. Solorzanus lib. 3. cap. 6. n. 62. Vnde si obligatio est sub veniali, grauis non consurget obligatio; & si nulla, erit pariter nulla; nisi quis expressè velit se obligare, quod nunquam accidit, nisi fortè ex ignorantia, quæ facit inuoluntarium. Quod sine limitatione dictâ tenent plures, quos adducit P. Fragolus num. 99. citato. Sic autem contingit in præsentia: nam cum leges dictæ tantum intendunt damna quæ Indis solent inferri, depellere, vbi nulla talia extant, neque ipsorum periculum, non est credendum voluisse Reges Catholicos laqueum æternæ damnationis Vassallis iniicere, vt cum bonis Auctoribus dictum Tit. 2. num. 4. & quidem sine tali obligatione facta est communi bono prouisum: & tunc obligationem sub lethali non esse admittendam, ibidem citati defendunt: nam pro nocumentis vitandis adest naturalis lex, & iuramentum: illis autem sublatis, non est grauioris obligationis indicium. Fauet quod de lege vsu non receptâ tradunt Doctores apud Patrè Palaum Tomo 1. Tract. 3. Disp. 1. Puncto 13. n. 9. & 10. iuxta quos non est scientia & patientia Principis necessaria, vt lex desinat obligare. Quod si cum Prætori culpa transgressionis opponitur, rerum contractabilium amissione punitur; ex eo solum habetur legem esse poenalem, quæ iuxta grauius Scriptorum sententiam sub peccato non obligat: vnde nec iuramentum circa illam, vt cum alijs docet P. Fagundez Tomo 1. in Decalogum Lib. 2. Cap. 23. num. 9. & licet addant obligari ad poenam, id erit si petatur post sententiam saltem declaratoriam, iuxta receptam sententiam, de quâ Tit. 4. num. 67. & 75. alibique. Fitque

Ex lege vsu non receptâ arguitur.

id meritò, quia rationabiliter præsumitur non sine Indorum iniurijs mercimonium contulisse, & violatam cum iustitiâ iuramenti sanctitatem. Est ergo hoc satis probabile, si ita tractari contingat, vt in Assertionem proponimus. Et posse reuerè ita contingere certum mihi est experimento multorum, quibus Dei timor omni est commo temporali potentior, subuerentibus sollicitè nequa sibi restitutionis obligatio exacto officio superat, spina doloris æterni futura.

5 Dico quarto. Iurans ore, non corde, circa id, in quo est obligatio legis certa, grauius peccat. Id probò. Quia officium datur à Rege sub eâ conditione, qui sic intendit bono communi prospicere, aliter non daturus: ergo non apponens verè illam, in contractu deficit, fraudem Regi obrudit, & traditionem officij reddit nullam, cum inuoluntarium faciat ignorantia; in quibus constat graue peccatum inueniri. Item, licet sint graues Scriptores, qui dicant promissionem posse fictè iurari, ita vt graue in eo peccatum non sit: addunt tamen pro eo debere causam vrgentem intercedere, vt videri potest apud P. Thomam Sancium Lib. 1. de Matrim. disp. 11. num. 2. qui varios casus adducit, & plures P. Azor Tomo 1. Lib. 11. Cap. 4. Quæst. 5. Atqui in præsentia nulla est talis causa, vt patet, quia ad officium voluntarius venit neque ad fingendum potest vllum excogitari grauamen: ergo nullo modo est licita talis fictio.

Afferio 4. Peccare grauius non corde iurante.

Iuramentum quando licet circa promissionem.

6 Dico quinto. Iurans sine animo implendi id, ad quod obligatus sub mortali non est, non peccat mortaliter. Sic P. Lessius Lib. 2. Cap. 42. num. 42. vers. Si primo modo. Probat ex dictis, num. 4. quia cum lex non obliget, non est obligatio iurandi, nisi iuxta illius qualitatem: vnde est communis Scriptorum doctrina iuramentum sequi naturam contractus, cui adicitur, de quo P. Sancius supra Lib. 6. Disp. 11. num. 3. apud quem Doctores P. Vincentius Tancredi de Religionem Tract. 4. Lib. 2. Disp. 14. Quæst. 1. & Disp. 15. num. 5. & 6. cum Caetano, Soto, Gutierrez, & PP. Suario, Sancio, Palao, & Lessio. Et etiam cum de Statutis agit, iuramentum circa illa prout in vsu sunt dirigitur: de quo P. Azor supra Cap. 8. Quæst. 3. & est communissima resolutio. Secus si talia sint, vt secluso iuramento sub mortali obligent. Pro quo P. Fagundez Tomo 1. in Decalogum. Lib. 2. Cap. 23. n. 7. & 8. P. Palaus Tomo 3. Disp. 2. de Iuramento. Puncto 6. s. 5. num. 7. & ante eos Gutierrez de Iuramento promissi Cap. 37. & 38. & per hæc quidem quæstioni præsentia videtur satisfactum, circa quam fuisse aliquis cum tamen ex principijs apud Scriptores siue vt certis, siue vt probabilibus, receptis, possit non admodum operosè resolui. Pro ampliori autem explicatione sit iam

Afferio 5. Et sine animo implendi id, ad quod grauius obligantur, sed non alia.

CAPVT II.

Explicantur in particulari ea, ad quæ Indicorum Prætorum iuramentum extenditur.

7 Diximus extendi ad ea, quæ grauem iniustitiam continent, & nocumenta possunt non leuia Indis inferre, quæ in speciali oportet percurramus.

